


RITO DELLA BENEDIZIONE DELL'ACQUA (RITUALE ROMANO ANTICO)



BENEDICTIO AQUAE

Quando si fa l'aspersione il Sacerdote, rivestito dei paramenti sacri (senza manipolo e pianeta), prepara in sacrestia l'acqua benedetta: acqua che userà poi per l'aspersione dei fedeli.

S - *Adiutorum nostrum + in nomine Domini.*

M - **Qui feci coelum et terram.**

(Esorcismo del sale)

S - **Exorcizo** te, creatura salis, per Deum + vivum, per Deum + verum, per Deum + sanctum, per Deum, qui te per Elisum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: et sis omnibus sumentibus te sanitas animae et corporis et effugiat atque discadat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia et nequitia vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratur per eum qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

M - **Amen.**

Oremus.

S - **Immensam** clementiam tuam, omnipotens aeternae Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene+dicere, et sancti+ficare tua pietati digneris: ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis: et quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritalis nequitiae. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

M - **Amen.**

(Esorcismo dell'acqua)

S - **Exorcizo** te, creatura aquae, in nomine Dei + Patris omnipotentis, et in nomine Iesu + Christi Filii eius Domini nostri, et in virtute Spiritus + Sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

M - **Amen.**

Oremus.

S - **Deus**, qui ad salutem humani generis, maxima quaeque sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae benedictionis infunde: ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum: ut quidquid in domibus vel in locis fidelium haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discendat omnes insidiae latentis inimici: et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione huius aquae effugiat atque discadat: ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

M - **Amen.**

(Mescolanza del sale e dell'acqua: per tre volte a mo' di croce)

S - **Commixtio salis et aquae parite fiat, in nomine Pa+tris, et Fi+lii, et Spiritus + Sancti.**

M - **Amen.**

S - Dominus vobiscum

M - **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

S - **Deus** invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversae dominationis vires reprimis: qui inimici rugientis saevitiam superas: qui hostiles nequitas potenter expungas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur ac petimus ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices: ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur: terrorque venenosi serpentis procul pellatur: et praesentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem

Spiritus Sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

M - **Amen.**